



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

2. Quæ partes pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

dibus replentur: sic quo anima lōgius differt se expurgare per confessionem, eò difficilius postea se expurgat, & ob multitudinem peccatorum magis intricat, tantaq; anxietate obruitur, vt ne à docto quidem Confessario extricari possit. Ac, quod amplius est, gignit ac nutrit in se vermem Conscientiæ, quem etsi in hac vita non sentit, tamen in hora mortis crudeliter mordentem sentiet, & multò amplius in futuro seculo; vbi vermis iste nunquam moritur, nec ignis, qui eum combusturus est, exstinguitur.

PARS SECVNDA.

Quæ partes Pœnitentiæ?

Nihil videtur explicandum hîc de partibus Pœnitentiæ, quæ tres sunt, Contritio, Confessio, & Satisfactio, planè necessariae ad perfectionem huius Sacramenti tam necessarij ad salutem. Passim enim extant & teruntur vtiliter Christianorum manibus libri, qui de his copiosè tractent. Hoc tantum in præsentia; quòd ad veram contritionem pertineat, vt peccator doleat, & detesteretur peccatum commissum, quatenus est offensâ Dei super omnia amati, coniungatq; cum hoc dolore, & detestatione firmum propositum mutan-

*In quo sit
vera Con-
tritio.*

di vitam, & in futurum nunquam peccandi. Sicut enim Deus, qui est summum bonum, debet amari super omnia; sic peccatum, in quo Deum offendimus, quia est summum malum, debet odio haberi super omnia.

Ad Confessionem verò, ut sit valida, *que bonæ pertinet primò, ut sit integra; hoc est ut confessionis omnia mortalia secundum speciem, & numero conduiones* merum Sacerdoti manifestentur: secundò, ut fidelis, id est, vera & sincera: tertio ut diligens, hoc est, ut eam præcedat accurata conscientie discussio: quartò, ut obediens; ut scilicet poenitens habeat propositum faciendi quicquid ei Confessarius iniunxerit.

Ad Satisfactionem denique spectat; *Quid ad satisfactionem pertineat.* ut Deo pro peccatis admissis homo satisfaciat; quod nisi fecerit integrè in hoc mundo, necessariò illi faciendum erit in Purgatorio, cuius poenæ, sui magnitudine, (teste beato Augustino) excedunt omnia tormenta, quæ sancti martyres passi sunt in hac vita. Omnes autem satisfactiones reducuntur ad tria genera: Ad ieiunium, aliasque asperitates corporis, ad eleemosynam, & Orationem. Atque hæc generatim, & breuiter.